



## **Disquisitionvm Magicarvm Libri Sex**

**Delrío, Martín Antonio**

**Mogvntiae, 1624**

Qvæstio XXXIV. Quid sireus tot delicta comisisset, quod examen vno die  
absolui non posset?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62472)

foret necessaria, & probatur à simili: sic enim in atrocioribus sceleribus plusquam tres ictus in qualibet tortura dari posse docuit Carrer. *tract. de indic. & tortur. fol 163.* certa enim reg. in huiusmodi tradi non potest. *Vide supra quaest. 24. & 25.*

## QVÆSTIO XXXIV.

*Quid si reus tot delicta commississet, quod examen vno die absolui non posset?*

**R**atio dicitur, & necessitas veritatis indagandæ ad iustitiæ administrationem exigit, de ijs quæ supersunt alio die examen institui. Ideo si quis de quinque diuersis criminibus foret delatus, & ex indicijs grauibis suspectus, & de tribus tantum delictis tres quaestiones & examina consumpta, de reliquis toties torquendus erit, donec examen de ijs fuerit perfectum & absolutum. Ita DD. *Friburgenses*, qui probant, quia de omnibus debet examinari, & non fuit examinatus de prioribus, confirmant à simili. sicut reus sufficienter, hoc est bis aut ter tortus, atque contra se crimen confessus, quarto aut quinto torqueri potest ad detegendum socios, quia ratione sociorum nunquam fuit tortus: *Binsfeld. d. l. 7. concl. 13.* ita ratione alterius delicti, de quo nunquam est tortus, repeti potest quaestio, & quidem toties, donec fuerit de omnibus examinatus. Si quis consequentiam negaret. probatur: quia plus interest reip. scire crimen huius rei, quam socios ipsius criminis, nam & noui criminis nouos seu alios socios est detecturus. Deinde non est maior ratio cur torqueri possit de vno crimine, quam de alio, immo si prius esset examinatus de leuioribus: foret

**A** maior ratio, eum examinari de grauioribus reliquis. Denique propter solemnitatem illam numeri, quæ est mereturis positui, non decet iudicem, quidquam relinquere indiscussum, aut indiscrere, ac negligenter, præcipitanterve procedere.

## QVÆSTIO XXXV.

**B** An consuetudines locorum, quoad modum torturæ simpliciter sequendæ sint, cum magna sit differentia personarum, indiciorum, criminum, ita quod non semper vno & eodem modo possit procedi, & casus, causas, & genera tormentorum siue lege, siue consuetudine nequeant determinari?

**C** Ori consuetudo vim legis obtinet. *Cyn. & Bald. in li. 1. ad fin. C. qua sit longa consuetudo. Marfil. singul. 118. Afflict. decis. 135. num. 3. & decis. 233. numer. 5. Felin. in capit. 2. de rescript. ideo consuetudines locorum, vsus & stylus curiarum sequendus iudicibus, lib. 3. §. fin. D. de test. cap. quam graui. de crimin. fals. Barth. & alij in l. fin. C. de iniur. & in l. iurisperitos. D. de excusat. Etiam in grauioribus & atrocioribus. *Clarus lib. 5. §. 1. numer. 6. Menoch. de arbit. cas. 474. numer. 62. Mascard. concl. 1317. num. 47. Farinac. quaest. 43. numer. 144. Bursat. consil. 20. num. 67. & conf. 69. numer. 25.* & ideo sic in præsentia tenuerunt DD. *Patauini.**

**D** Sed DD. *Friburgenses* fatentur iudices à nouis & inuisitatis in prouincia torquendi modis abstinere debere, & in hoc crimine consuētis & solitis vti: (*citant Binsfeld. Farinac. & alios*) si tamen modus torturæ in prouincia receptus esset admodum remissus, & pro criminis grauitate & persona